

Quæst. II.

περι τῆς  
περιουσίας  
sive ampli-  
tudine pec-  
cati origi-  
nis.

21. Quorum vestigijs insistens nostra confessio ingenuè respondet : Quod post lapsum Adæ omnes homines, secundum naturam propagati, nascantur cum peccato, hoc est, sine metu D E I, sine fiducia erga Deum, & cum concupiscentia.

22. Singuli proindè & Vniversi homines, (unico excepto Christo, quippe qui non secundum naturam natus,) labe ista horribiliter infecti esse piè creduntur: cujuscunque tandem sint generis, aut conditionis, tam mas quàm foemina; tam infans quàm adultus, ita ut nemo prorsus, humana sorte genitus, peccati hujus sive labis originalis expers censerì debeat.

23. Neque enim certorum duntaxat, quorundam Individuorum, sed totius humani generis complexum, jam producta scripturarum testimonia no-  
tant.

24. Id quod etiam comprobat προσηγοριὰς ille Propheticus & Apostolicus, qui ità universalem istam corruptionem constituit, ut ne unus quidem sit, quem excipias: Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum. non est usque ad unum, Psalmo 14, 3. & Rom. 3, 12.

25. Detestanda ergo pontificiorum temeritas, qui B. virginem Mariam, Iohannem Baptistam, & Prophetam Ieremiam ex hoc communi hominum censu eximunt, & à contagio peccati origi-

Bellar.  
Tom. 3.  
pag. 3. 24.